

[fol. 4r] Responsio ad intimatum exc[ellentis] Consilii Regii Locumtenentialis in causa r[eve]r[endorum] d[ominorum] d[ominorum] pastorum ecclesiae reformatae HódMezőVásárhelyiensis et Szentesiensis, quibus tit[ula]t[us] dioecesanus Vatzienus Carolus Eszterházi iniungere voluit, ut obstetricibus baptisandi facultatem in casu necessitatis concederent. Intimatum datum fuit d[ie] 7. jul[ius] 1761. Posenii, et missum ad co[m]m[un]it[at]um Csongradiensem.

Incluta Universitas Domini Nobis Gratosissimi!

Accepimus per inclutam universitatem reverenter, ut debuimus, gratiosum excelsi consilii regii locumtenentialis intimatum, in quo ad expositionem illustrissimi excellentissimi ac reverendissimi domini comitis episcopi Vatzienus, nobis crimini datur, quod nos damnato principio illi, quod nempe in nullo necessitatis casu per alium adeoque neque per obstetricem, verum unice per praedicantes infantes baptisari possint adhucdum pertinaciter inhaerere observemur. Insuper postulatur a nobis ut nostris principiis conveniens aliquod intimatum eiusdem excelsi consilii locumtenentialis regii exhibeamus.

Incluta universitas! Dolemus vehementer nos a titulato domino dioecesano Vatzienus ita accusari, quasi qui soli adhucdum, in hac dioecesi, omnes ad verbi divini ministerium non ordinatus, atque adeo ipsas etiam obstetrices ab administratione bap[ti]smi arceamus: Certe enim non nos solum, sed omnes per hanc dioecesim, imo per totam Hungariam, et quod longe plus est, per omnes ecclesias reformatas, quae sub coelo sunt, hoc idem docemus, et sane omnes Helveticae confessioni addicti ecclesiarum pastores necessario docere debent. Clarissima enim sunt verba confessionis Helveticae capite XX de bap[ti]smo sequentia: Docemus bap[ti]smum in ecclesia non administrari debere a mulierculis, vel ab obstetricibus. Paulus enim removet mulierculas ab officiis ecclesiasticis 1. Cor[inthius] XIV v[ersus] 34. Bap[ti]smus autem pertinet ad officia ecclesiastica.

[fol. 4v] Haec sunt verba libri nostri simbolici, a quo in hac patria denominamur, et a quo nobis recedere aequae nefas est, prout dominis romano catholicis a concilio Tridentino.

Fatemur autem nos ignorare, quo iure nostrum hoc de bap[ti]smo obstetricum principium damnatum vocari possit: Hoc enim certe nullum unquam concilium damnavit, ipsum etiam concilium Tridentinum, uti non probavit sententiam eorum, qui mulierculis in casu necessitatis baptisandi facultatem concedunt: ita nec eos damnavit, qui eandem facultatem solis ecclesiasticis reservandam esse docent. Sed quaestionem hanc, simpliciter intactam reliquit. Quod interim post modum catechismus romanus supplevit id, quod ibi decisum non erat, id quidem nobis adhuc minus preiudicat, quam ipsum concilium.

Scimus autem e contrario concilium IV<sup>um</sup> carthaginiense canone centesimo anno Christi 253 exerte statuisse: mulier ne bap[ti]set.

Seculo IV<sup>o</sup> Epiphanius libro 111<sup>o</sup> tomi 2<sup>di</sup> haeresi 79 adversus collyridianas mulieres dicit: Si mulieribus praeceptum esset sacrificare Deo, aut regulare quidquam operari in ecclesia, oportebat magis ipsam Mariam sacrificum perficere in Novo Testamento, quae digna facta est suscipere in propriis sinibus universorum regem Deum, coelestem filium Dei: cuius uterus templum factum est ac domicilium ad domini in carne dispensationem, per Dei benignitatem, et admirandum mysterium praeparatus est. At non complacuit, sed neque bap[ti]sma dare conceditum est, alioqui potuisset Christus ab ipsa baptisari potius, quam a Joanne.

Seculo 11<sup>o</sup> exeunte Tertullianus de praescriptionibus capite XLI dicit: Ipsae mulieres haereticae, quam procaces! Quae audent docere atque forsitan et tinguere. Id est bap[ti]sare. Idem de uelendis Virginibus. Capite IX<sup>o</sup>. Non permittitur mulieri in ecclesia loqui, sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec alius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vindicare.

Imo in constitutionibus apostolicis, quae Clementi romano apostolorum discipulo tribuuntur, haec habetur constitutio: non oportet ut mulieres baptisent: est enim impium, et a Christi doctrina alienum. Plura non addimus, sufficit patere ex his, veteri aevo, patris ecclesiae ac etiam integra concilia orthodoxorum putasse nobiscum Helveticam confessionem defendentibus, mulieres ab administratione baptismi arcere simpliciter. [fol. 5r] Sine ulla casus necessitatis exceptione.

Quod autem ad infantes illas attinet, qui nulla sua culpa neque parentum suorum negligentia, aut malitia, de vita hac sine baptismo decedunt: absit a nobis ut eos damnatis ad scribere audeamus. Scimus enim illud Bernhardinum: Non privatio, sed contemptus sacramenti damnat. Scimus etiam sanctum Abrosium censuisse Valentinianum imperatorem (licet, hic fato praeventus baptisari non potuerit) gratiam dei fuisse adeptum: ita enim eum in oratione funebri inter caetera alloquitur: non quicumque te, Valentine, sed Christus illuminabit gratia spirituali: Ille te baptisavit, qua humana officia tibi defuerunt. Credimus nos, Deum suam potentiam sacramentis non alligasse, ut loquitur sententiarum magister Lombadus Libro IV sententiarum, distinctione 4<sup>a</sup>. Sed ubi sacramenta ex occulta divina providentia deficiunt, Deum, sine sacramentis gratiam suam cum fidelium liberis communicare: Spiritus enim ubi vult spirat Jo[hannes] 3:8. In quam sententiam de salute Latronis illius, qui cum Christo domino crucifixus erat, et ut facile praesumitur, sine baptismo decessit: item de salute multorum martyrum, qui ante perceptum baptismum occisi sunt: item de Cornelio illo centurione, et de illis qui in aedibus illius, nondum baptizati spiritum sanctum aequae ac apostoli accepisse leguntur actor[um] X v[ersus] 44–47 plura sunt disputata in concilio quoque Tridentino, a Marinaro Carmelita, teste Paulo Sarpio, in Historia concilii Tridentini Libro II<sup>o</sup>, quod Pallavicinus etiam in Historia Concilii Tridentini Libro IX<sup>o</sup> capite 4<sup>o</sup> agnoscit.

Hoc est quod, inclytae universitati, humillimae replicae loco submittere hac vice volumus. Benignorum autem intimorum excelsi consilii locumtenentis regii in favorem nostri expeditorum e recentioribus, duo exempla hic accludimus.

Inclytae Universitatis humillimi atque obsequentissimi servi. Michael Füredi verbi divini minister et ecclesiae reformatae Vásárhelyiensis pastor, Benjamin Szönyi v[erbi] d[ivini] m[inister] et ecclesiae eiusdem pastor, Stephanus Gaal v[erbi] d[ivini] m[inister] et pastor ecclesiae reformatae Szentesiensis.

[fol. 5v]

1761

In nego[tio] Baptismi obstet[ricum]

[fol. 6r]

Inclyta Universitas Domini Nobis Gratosissimi!

Accepimus per inclytam universitatem reverenter, ut debuimus, gratiosum excelsi consilii regii locumtenentis intimatum, in quo, ad expositionem illustrissimi excellentissimi ac reverendissimi domini comitis episcopi Vatziensis, nobis crimi datur, quod nos damnato principio illi, quod nempe in nullo necessitatis casu per alium, adeoque neque per obstetricem, verum unice per praedicantes infantes baptizari possint, adhucdum pertinaciter inhaerere observemur. Insuper postulatur a nobis ut nostris principiis conveniens aliquod intimatum eiusdem excelsi consilii locumtenentis regii exhibeamus.

Inclyta universitas. Dolemus vehementer nos a titulo domino dioecetano Vatzienti ita accusari, quasi qui soli adhucdum, in hac dioecesi, omnes ad verbi divini ministerium non ordinatos, atque adeo ipsas etiam obstetrices ab administratione baptismi arceamus: Certe enim non nos solum, sed omnes per hanc dioecesim, imo per totam Hungariam, et quod longe

plus est per omnes ecclesias reformatas, quae sub coelo sunt, hoc idem docemus; et sane omnes Helveticae confessioni addicti ecclesiarum pastores necessano docere debent. Clarissima enim sunt verba confessionis Helveticae cap[ite] XX de baptizmo seq[uentia]: Docemus baptizmm in eccl[esi]a non administrari debere a mulierculis, vel ab obstetricibus. Paulus enim removet mulierculas ab officiis ecclesiasticis 1. Cor[inthius] XIV v[ersus] 34. Baptizmus autem pertinet ad officia ecclesiastica.

Haec sunt verba libri nostri simbolici, a quo in hac patria denominamur, et a quo nobis recedere aequae nefas est, prout dominis romano catholicis a concilio Tridentino.

Fatemur autem nos ignorare, quo jure nostrum hoc de baptizmo obstetricum principium damnatum vocari possit: Hoc enim certe nullum unquam concilium damnavit: ipsum etiam concilium Tridentinum, uti non probavit sententiam eorum, qui mulierculis in casu necessitatis baptizandi facultatem concedunt: ita nec eos damnavit, qui eandem facultatem solis ecclesiasticis reservandam esse docent. Sed quaestionem hanc, simpliciter intactam reliquit. Quod interim post modum catechismus r[oma]nus subplevit id, quod ibi decisum non erat, id quidem nobis adhuc minus prejudicat, quam ipsum concilium.

Scimus autem e contrario concilium IV<sup>um</sup> carthaginense canone centesimo anno Christi 253 exerte statuisse: mulier ne baptizet.

Seculo IV<sup>o</sup> Epiphanius libr[o] 111<sup>o</sup> tom[i] II<sup>di</sup> haeresi 79 adversus colliridianas mulieres dicit: Si mulieribus praeceptum esset [fol. 6v] sacrificare Deo, aut regulare quidq[ua]m operari in eccl[esi]a operari oportebat magis ipsam Mariam sacrificum perficere in Novo Testamento, quae digna facta est suscipere in propriis sinibus universorum regem Deum, coelestem filium Dei: cujus uterus templum factum est ac domicilium ad domini in carne dispensationem, per Dei benignitatem, et admirandum mysterium praeparatus est. At non complacuit, sed neque baptizma dare concreditum est, alioqui potuisset Christus ab ipsa baptizari potius, quam a Joanne.

Seculo 11<sup>do</sup> exeunte Tertullianus de praescriptionibus cap[ite] 4 dicit: Ipsae mulieres haereticae, quam procaces, quae audent docere *forsitan et tinguere id est baptizare. Idem de velandis Virginibus cap[ite] IX*no. Non permittitur mulieri in eccl[esi]a loqui, sed nec docere, nec pingere, nec offerre, nec alius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vindicare.

Imo in constitutionibus ap[osto]licis, quae Clementi r[oma]no ap[osto]lor[um] discipulo tribuuntur, haec habetur constitutio: non oportet ut mulieres baptizent: est enim impium, et a [Chris]ti doctrina alienum. Plura non addimus, sufficit patere ex his, veteri aevo, patris eccl[esi]ae ac etiam integra concilia orthodoxorum putasse nobiscum Helveticam confessionem defendentibus, mulieres ab administratione baptizmi arcere simpliciter. Sine ulla casus necessitatis exceptione.

Quod autem ad infantes illas adinet, qui nulla sua culpa neque parentum suorum negligentia, aut malitia, de vita hac sine baptizmate decedunt: absit a nobis ut eos damnatis ad scribere audeamus. Scimus e[ni]m illud Bernhardinum: Non privatio, sed contemptus sacramenti damnat. Scimus etiam sanctum Ambrosium censuisse Valentinianum imperatorem (licet, hic fato praeventus baptizari non potuerit) gratiam Dei fuisse adeptum: ita enim eum in oratione funebri inter caetera alloquitur: non quicumque te, Valentine, sed Christus illuminabit gratia spirituali: Ille te baptizavit, qua humana officia tibi defuerunt. Credimus nos, Deum suam potentiam sacramentis non alligasse, ut loquit[ur] sententiar[um] magister Lombardus libro IV<sup>to</sup> sententiarum, distinctione 4<sup>ta</sup>. Sed ubi sacramenta ex occulta divina providentia deficiunt, Deum, sine sacramentis gratiam suam cum fidelium liberis communicare: Spiritus e[ni]m ubi vult spirat Jo[hannes] 3:8. In quam sententiam de salute latronis illius, qui cum Christo d[omi]no crucifixus erat, et ut facile praesumitur. Sine baptizmo decessit. Item de salute multor[um] martyrum, qui ante perceptum baptizmm occisi sunt. Item de Cornelio illo centurione, et de illis qui in aedibus illius, nondum baptizati spiritum sanctum aequae ac

ap[osto]li accepisse leguntur actor[um] X v[ersus] 44–47 plura sunt disputata in concil[io] q[uo]q[ue] Tridentino, a Marinaro carmelita, teste Paulo Sarpio, in Hist[oria] concilii Tridentini libr[o] IIdo, quod Pallavicinus etiam in Hist[oria] concilii Tridentini [fol. 7r] libr[o] IX cap[ite] 4to agnoscit.

Hoc est quod, inclytae universitati, humillimae replicae loco submittere hac vice volumus. Benignor[um] autem intimator[um] excelsi consilii locumtenentialis regii in favorem nostri expeditor[um] e recentioribus, duo exempla hic accludimus. In reliquo gratiis et favorib[us] commendati in submissione perseveramus.

Inclytae Universitatis

1761.

Humillimi atq[ue] obsequentissimi servi.

Michael Füredi v[erbi] d[ivini] m[inister] et eccl[esi]ae r[e]f[orma]tae Vásárhelyiensis pastor m[anu] p[ropria]

Beniamin Szőnyi v[erbi] d[ivini] m[inister] et eccl[esi]ae eiusdem pastor m[anu] p[ropria]

Stephanus Gaal v[erbi] d[ivini] m[inister] et pastor eccl[esi]ae r[e]f[orma]tae Szentesiensis m[anu] p[ropria].